



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Epitome Instituti Societatis Jesu

Sesti, Curtius

Bruxellis, 1690

Sect. I. Finis Collegiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68440](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68440)

CAPUT I.

De Collegiorum Fundatione.

SECTIO I.

Finis Collegiorum.

I. *Ut instruan-
tur in literis
Scholastici So-
cietatis.*



Um scopus, ad quem tendit Societas, sit varias Mundi partes ex Obedientia peragrando Verbum Dei prædicare, Confessiones audire, & reliquis, quibuscumque poterit, mediis uti. Divina gratia aspirante, ad animas juvandas; rationi consentaneum visum est, ut in eam ingressuri viri sint probitate, & literarum eruditione, ad id officium idonei. Et quia boni simul & eruditi, pauci inveniuntur; & ex paucis major pars jam à susceptis laboribus vellet conquiescere; perdifficile fore deprehendimus, hujusmodi hominibus, qui boni simul & literati essent, hanc Societatem augeri posse, tum propter magnos labores, quos ejus Institutum exigit, tum propter magnam sui ipsorum abnegationem. Ideo nobis omnibus, qui conservationem & incrementum ejus ad majorem laudem, & obse-

obsequium Dei ac Domini Nostri cupiebamus, alia via tenenda esse visa est; admittendi nimirum Juvenes, qui bonorum morum, & ingeniorum indole spem facerent, quod in probos simul, ac doctos viros essent evasuri. ^a Ad hoc Collegia, & aliquando etiam Universitates, & Studia generalia Societas amplectitur; in quibus admittuntur, qui bonum sui specimen in Domibus præbuerunt; nec tamen doctrina ad nostrum Institutum necessaria satis instructi accesserunt: ut in ea, & in aliis rebus, quæ ad juvandas animas conferunt, instruuntur. ^b Et hæc quidem Studia generalia seu Seminaria perfecta, in qualibet Provincia curanda sunt: sed ubi Nostri docendi munus imponitur, non præproperè huic negotio danda est opera. ^c

^a P. 4. Pro-
œm. A.

2. Eadem caritatis ratione, qua Collegia admittuntur, & publicæ Scholæ in eis, non tantum ad Nostrorum, sed magis etiam ad Externorum ædificationem in doctrina, & moribus, tenentur. ^d

^b P. 4. Pro-
œm. §. 1. &
St. R. Rect. 1.

^c C. 2. D. 9.

². Vt externi
pietate & lite-
ris imbuantur.

^d P. 4. C. 11. §.
1. & C. 7. §. 1.

SECTIO II.

Quomodo agendum cum Fundatoribus Collegiorum.

1. Quoniam valde æquum est, ut illorum devotioni, & beneficentiæ correspondere solerent.

Singularis erga
Fundatores ob-
servantia.